

VOTA FACTA
 ΝΕΟΓΑΜΟΙΣ,
 AVGVSTINO
 CRVSIO,
 ET

MARGARETAE CAESARIAE:
 Genero & Filiae,
 à

M. CHRISTOPHORO CAESARE,
 Rectore Scholæ Halensis:

ET
 Affini atq; Sorori,
 à

IOACHIMO CAESARE
 Halensi Filio:

*In Nuptiis, Halæ Saxonum celebratis
 V. D. Men. Febr. 1600.*

Præmisso gemino, ejusdem
 argumenti, Carmine.

✂ ✂

Ex Officina

PAVLI GRÆBERI.



*AD CLARISSIMUM, DOCTISSIMUM, ET
optimum Virum, Dn. M. Christophorum Casarem,
Scholæ Halensis Rectorem dignissimum;
Ornatissimi Sponsi Socerum.*

Idelis est Deus, finit qui neminem
Magis, suis quam ferre viribus queat,
Quas ipse suggerit piis, tentarier.
Adeoq; quos exercuit prius malis,
Mitis deinde liberatos recreat.

Sic T E, sibi carissimum & mortalibus,
CAESAR, dolore penè confectum gravi,
Tandem benignus ille respicit Pater,
Vnum malum bonis duobus sarcians:
IOCHIM VLI pietate nati, & indole:
Et auspiciatis MARGARITAE nuptiis.

Vtrumq; sospitet augeatq; qui dedit,
Autor bonum, Votis precor solennibus.

*Zacharias Brendel Med. D.
in Salana Profess. pub.*

AD EVNDEM CAESAREM.

Ina velut faciem mutans, nunc lumine cassa est,
Nunc iterum pleno lumine visit humum:
Sic fortuna vices varians, modò blandula ridet,
At modò mutato numine, tristis agit,
Ploras natum, quem non Virtutis egentem,
Ah immature, sustulit atra dies,
Quo vix major erat, seu Graio solveret ora,
Seu Latio eloquio: par in utroq; fuit.
Orantem stupuit juvenum chorus omnis, & ora
Obvertère senes, Lipsia docta, tui.

Tanti

Tanta inerat gravitas, & tanta modestia voci,
Rerum & verborum pondere tantus erat.
Qui docto ingenio certabat vincere patrem:
Hoc certamen erat non nisi dulce patri.
Quicquid erat, verbis seu stricta lege solutis,
Carmines seu vellet ludere, promptus erat.
Lux patria, juris columen, baculusq; parentum:
Gloria Pieridum summa futurus erat.
At Deus ablatum de terris intulit astris,
Cernit ubi vultu nunc propiore Deum.
Et penitus nostris mysteria sensibus audit
Abditas, perfectâ cognitione fruens.
Non igitur plures; nec enim caussa vlla dolendi est;
In nati, generum dant tibi fata, locum.
Moribus hic prestans, genere, artibus, ore disertis,
Compensat luctus tristia damna tui.
Hac solida ut vobis longævo tempore perstet
Læticia; est voti summa caputq; mei.
Tū neptes videas, dulcesq; ante ora nepotes:
Laterisq; tua prosperitate domus.

M. Michaël Boicemus
Schola Argeliensis Rector.

PRINCIPIVM A IOVA.

Fortunante Deo, res est ut cuncta secunda:
Sic nulla est foelix res, renuente Deo.
Adversante Deo, res est ut nulla secunda:
Sic omnis foelix est, comitante Deo.

Was angefangen wird mit Gott/
Mit Gott es glücklich fortgang hat.

Ὅτι μετ' εὐσεβείης ἔρδ' εἰ, καὶ σαῶ δειῶ, ἀνίη,
πᾶν τὸ δὲ ὠφέλιμον κ' ἐντελές ἐργον ἔφου.

A 2

Nil

Nil geritur bene, quod geritur: nisi, CHRISTE, geratur
AVSPICE TE, solo TE DVCE, quod geritur
TE geritur, quod nunc geritur, DVCE & AVSPICE, CHRISTE:
AVSPICE TE, felix, TE DVCE, cedat opus.
SPONSIS SVPPlice GESTV
AD ARAM ASTANTIBVS.

Vota ferunt alii Sponsis; pater anne feram ipse?
Sancta ferunt alii; non ego sancta minus.
Sancta sed, aut devota magis fero Vota; parenti
Quo cura & cordi est Sponsus Vterq; magis.
Quisq; amat ipse suos, sibi quos elegit, amicos;
At patrius natos ardet & vrit, amor.
Quo magis ardet & vrit; eò sunt vota patris plus
Fervida: plus faciunt fervida vota magis.
Ergò patris mea quò plus fervida seria vota;
Plus etiam urgentis ponderis his inerit.
Vota polum penetrant, devoto corde profecta:
Voti devoti summa sit ista brevis:
Felix, tranquillus, foecundus, sit diuturnus
NUMINE, SORTE BONA, PIGNORE,
TEMPORE, amor.
Sunt pia vota pii hac patris: caelum annuit illis:
Irrita abesto procul litera, linca, apex.

M. Christophorus Caesar Scholæ Halensis Rector:
Die Nuptiarum, h. e. V. Men. Febr. An. 1600.

MARGARITAE,
Sorori unicæ, Novæ Sponsæ, Ioachimus, Frater
unicus, felicitatem sempiternam precatur.
ALLEGORIA MARGARITAE,
proponens fidei in piâ Conjuge sinceræ imaginem.

Q Visquis in orbe probam reperit pietate Maritam,
Margarin eximiè possidet ille bonam. Namq;

Namq; hoc insignis præstat Virtute Marita,
Optima quod semper Margaris esse solet.

1. Margaris est etenim gemma alba & lucida; tellus
Indica quam profert; rore levi orta maris:
Cujusq; vxoris sic erga quenq; Maritum
Fulgeat alma fides, fulgeat almus amor.
2. Docta manus doctâ arte sed è Conchâ eximat illam,
Aut, sese cohibens, abripit illa manum:
Ardeat alterius sic nulla Marita Mariti
(Quæ semel est vni confociata) face.
3. Gemma oculos hæc cor recreat, pellitq; Venenum,
Affert læticiam, tristiciamq; fugat.
Gaudia sic vxor bona det; mala tristia pellat;
Sit medicina suo, sitq; medela, viro.
4. Est etiam tantò præstantior illa putanda
Gemmula, quo levior pondere nempe fuit:
Sic erit haud pravâ imperiosa libidine Conjux;
Sed subiecta suo, sit, maneatq; viro:
Illius & curas minuat, tollatq; levando;
Augeat illa illas non magis, atq; magis.
5. Et quantò fuerit variis magis acta procellis,
Hoc generosior hæc, nobiliorq; fuit:
Sic patet, afflictis rebus, cujusq; Maritæ
Plus in quenq;, fides inremerata, virum.
6. Sed, quantò talis fuerit res durior; his se
Vis magis opponit Conjugii melior:
Sic etiam semper censetur purior illa,
Quæ Veneris Paphiæ tota voratur avi.
7. Concha Ducem haud minus observat tamen ipsa se-
Dædala apis sequitur quàm studiosa Ducē (quendū,
Sic etiam nutus sese componat ad omnes,
Dilecti coniux oblequiiosa Viri.

A 3

Acri

8
Acri quin etiam hæc immersa liquefcit aceto,
Atq; abit in fumos illa soluta leves:
At thalamo nihil officit usq; perinde jugali,
Quàm verba infidæ mentis acerba loqui.
Et thalamum nihil æquè adjuverit usq; jugalem,
Dulcia quàm fido pectore verba loqui.
Sed quia, cara Soror, tibi nomen id obtigit; omen
Quod simul est; studio hoc exprime fida pio.
Margaris & sis re, ceu nomine Margaris es tu:
Vox jubet ipsa D E I; vox monet ipsa Patris.
Margarin hanc ergò grator tibi, Sponse; precorq;
Recreet illa oculos, cor recreetq; tuum.
Hæc solamen erit sola; hæc tibi eritq; levamen,
Et sudariolum; & dulce refrigerium.
Margarin hanc ergò, Sponse, accipe, suscipe, serva:
Hancq; tuere fovens, hanc moderare tegens.
Non consorte aliâ poteris thalami esse beatus;
Plena tibi H A C largas copia fundet opes.
Quin &, Sponsa Soror, toto tibi pectore Sponsum
Grator, cum augusti muneris instar habe.
Nomen & hic faustum obtinet; hic faustum obtinet omen:
Quid fausto augurio faustius esse queat?
Hunc, tibi ab augusto donatum Numine, noscas:
Hunc tu dilige amans: hunc venerare colens,
Non alio poteris verè esse beata Marito,
Plena tibi H O C largas copia fundet opes.
Augurio augusti sed sitis uterq; benigno:
Augusto crescat Nomine vestra domus.
Fœcundi & thalami lectas producite gemmas,
Ut numero innumeras, sic pietate pares.
Tandem longorum benè vos saturos annorum
Excipiant nitidi celsa theatra poli.

argusixie

ἄκρως

Complectens devotam Conjugii, foelicibus auspiciis,
faustoq; omine initi, comprecationem.

Augustinus Sponsus sacra nunc sistitur ara:
Margaris atq; ara sistitur ipsa sacra.

Augustinus

Vna utrisq; est mens, una est eademq; voluntas:
Adde, quod his etiam est una eademq; caro.

Gratulor ergo tibi Affini, gratorq; Sorori:
Res vobis semper prospera quaeq; cadat.

Vos multa insignes fiat prole Parentes:
Gaudia siderei postq; subite poli.

Sit procul a vestro demens discordia lectos
Almaq; Pax totam cingat amena domum.

Tristis ferat siquid sed trux khamnusidis ira,
Retro id agat rabidi fluctus, & aura maris.

fata

Id tamen adiscio: quando vos ultima fama
Eripient, vestra hic fama superstes eat.

Numine dante, solo foelices vivite sponsi;
Tum post longa vi, Numine dante, poli.

Vestra cara domus aeternum pignora vivant,
His vivis, Patri ex funere, vita manet.

Sic vivunt Nati; in Natis vivuntq; Parentes;
Axe poli vivunt, & simul orbe soli.

Frater Sorori
εὐφροσύνης ἔνεκα

AVGVSTINVS, MARGARIS:
RATVS TORVS.

ἀναγκαστικὸς ἀμῶν

GVSTVS GRATVS; SVTOR
AMARVS IN IRA.

γλυκύτης ἔρω.
Dulci amarus amor.

Est

AVGVSTINVS, MARGARIS
ἀναγκαστικὸς ἀμῶν

GVSTVS AMARVS IN IRA.
In primo Conpositio. Iam hinc; G desideratur.

EST GUSTVS GRATVS, sed SVTOR AMARVS
Conjugium; & verè Dulciamarus amor. (IN IRA
Dulcia nam veluti semper miscentur amaris:

Sic toro amor semper, sic toro amaror inest.

Conjugii gustu grato non gratior ullus;

Vultu fors blando quando serena placet.

Grata Vxor, dulces nati: Matrisq; Patrisq;

Est nomen gratum: gratus & ore nepos.

FORTVNAE, torus est sed sutor amarus, IN IRA;

Cum capiti SVTOR tristia multa suit.

Nunc rapitur Conjux, mox natus, res perit, urget

Morbus: & hic cunctos CORDOLIVM usq; premit.

Exemplo potes illa tuo, Pater, ipse docere,

Crebrius & letans, crebrius atq; dolens.

CHRISTOPHORVM Fratrem cordis dixi esse medullam;

Raptus hic an, cor edens, non tibi CORDOLIVM est;

Hoc pro Christophoro, per natam nunc tibi natum,

Nomine mutato, donat habere novum.

Perpetuò lateris ut hoc; mutetur amarus

Gustus & ingratum, Voce animoq; precor.

ἑτεροσίων,

Diem, & annum Nuptiarum ostendens:

qui est 5. Februarii Anni. 1600.

QVIntâ LVCE tibi FebrarII DVCI tVr VXor:

ConIVglo hanC nltIDo protege, pasCe, rege.

ἄλλω:

AVgVstine sVbIs thalamI bona fœDera, Sponse;

AtqVe sVbIs, nexVs tV, bona Sponsa, torI.

Ioachimus Caesar Halensis.

Ipsa nuptiarum celebratarum

die. V. Feb. 1600.

A 2490

ULB Halle

3


003 485 986




sb

kom







516

~~ALVI~~
VOTA FACTA
NEOTAMONIS,
AVGVSTINO
CRVSIO,
ET
MARGARETAE CAESARIAE:
Genero & Filiae,
à
M. CHRISTOPHORO CAESARE,
Rectore Scholæ Halensis:
ET
Affini atq; Sorori,
à
IOACHIMO CAESARE
Halensi Filio:
In Nuptiis, Hala Saxonum celebratis
V. D. Men. Febr. 1600.
Præmisso gemino, ejusdem
argumenti, Carmine.
Ex Officina
PAVLI GRÆBERI.

